Adamus Ignat.
...neso.

Czechowic Jos. Impetus gentilitiorum fluminum.

IMPETUS
GENTILITIORUM FLUMINUM,
Non solùm septicollem *Gnesnam*,
Verùm etiam Universam lætificans *Majoricam*,
Ad Solennem, in suam METROPOLIM Ingressum,
CELSISSIMI, ILLUSTRISSIMI & REVERENDISSIMI DOMINI DOMINI,
ADAMI IGNATII
Comitis à Liptow & Orawa
KOMOROWSKI
DEI, & *Apostolicæ* Sedis Gratia,
ARCHI-EPISCOPI METROPOLITANI GNESNENSIS,
LEGATI NATI, REGNI POLONIARUM & M.D. Lith:
PRIMATIS,
Primiq; PRINCIPIS, ABBATIS Perpetui Tynecensis,
& Andreioviensis COMMENDATARII.
è Voto
Inclytæ Academiæ Posnaniensis,
Totiusq; Academici Majoris Poloniæ Studii,
Per
M. Josephum Czechowic, *in Alma Universitate Cracoviensi AA. LL. & Philosophiæ Doctorem, Coloniæ Gnesnensis Directorem.*
Panegyrico plausu reverentissimè
EXCEPTUS.
Anno Domini 1751. Die 24. Junii.

POSNANIÆ Typis Academicis.

In Illustrissimum, Celsissimi PRIMATIS STEMMA.



His, indiget Orbis Aquis. - - - *Favolius.*
Aſpice labentes jucundo murmure Rivos. *Ovid: 1. de art:*
In mare purpureum decurrunt Flumina curſu
Blando. - - - - - *Auſonius.*
Flumina jam lactis, jam Flumina nectaris ibant. *Ovid: 1. Metă.*
Invenio ſine vortice Aquas, ſine murmure euntes. *Ovid 5. Metă.*
Fons ſacer: Hunc multi Numen habere putant. *Ovid: epis.*
Aurifero madeat Flumine tota Domus - - *Lucianus.*
Flumina fortunæ, portuſq; ſalutis: - - *Petrar l 1. epis.*
Summos decurrant Flumina Montes. - - *Statius.*

PRINCEPS
CELSISSIME.

Ascensum Gentilitiorum Fluminum, ad Archi-Præsuleam Dignitatem, Schola Regni, à primo lacte, erga Reges & Principes, intaminatum servans candore, nuper cum eo, quod par est, adoravit homagio: morem Sceptriferæ Matris Majoris Poloniæ gerendo Pallas, hodie in solenni ad suam Archi-Cathedram Ingressu, Eorum Im-

petum, cum profundiſſimo excipit cultu, & Protectricem hoc in Regno in Te **PRINCEPS CELSISSIME**, *recolligendo Gratiam, cum ſuis venerabunda Studiis, coram Archi-Præſulea procumbit Majeſtate.* **PRIMATUM EXCELLENTISSIME.** *Piaculum foret, ad Lubranſcianam Pinum, tacere Mercurium, Te Tiarato præſente Jove, Qui Tibi non jam ab arte vel ingenio Capitolinas, in Oratoria ſtructura præſentat ædes, ſed ad publicas hujus Archi-Cathedræ acclamationes, Academici candoris exponit ſtudia, debitam ſubmiſſionem, per humillima obſequia conteſtatur. Non dedignaberis pro innata Tui Clementia ſinceras voluntates, Academicum erit precari, ut Primatialis Honor, qui Te ultro ambiit, in Te attingat Eminentiam, ſiſq; tot annorum Princeps, quot meritorum.*

ita vovet

CELSITUDINIS VESTRÆ.

devinctiſſimum
Studium Academicum.
Majoris Poloniæ
M. J. C. C. G. D. Auth: Oper:

Mare Mundus hic.

in eo, aquæ multæ, populi multi;

quorum terminus, in ſuo fluxu, & refluxu,

vitreo felicitatis dare nomina Ponto.

Alias,

vides Incolas terræ,

archinavarchos crede,

apud quos ſuſpiria venti, vota ſunt promontoria.

Nil impediunt decumani fluctus!

quin currat gratiâ lucri, mercator ad Indos;

non retrahit in liquido jactura vitæ,

cujus par pretium nunquam natat,

ne Argolicas conſcendat claſſes Argo-nautæ.

Laborant tota nocte Thymothei,

ut ad quietandas de die cupiditates, capiant aliquid,

Borea ſuppeditante jugales,

remis veliſq;, per Neptunia vehuntur Regna Jaſones,

ut vel traſmarinis appetitũ ſaginent dapibûs,

vel Colchicum, cum tripudio, rapiant Vellus.

Verũ ah! quã evanidi ſuntejuſmodi conatus!

fallitur augurio ſpes bona ſæpe ſuo.

Mare mundus est,
sed ipsa tranquillitate suspectum;
ad fortunatas Insulas, quot sunt scopuli?
(ipsa, si suo murmure, possent explicare flumina ;
elevatis dicerent vocibus.
Abyssus hic, abyssum invocat ;
fluctus, fluctibus insultant,
& dum latrantes silent Scyllæ,
voraces guttur adaperiunt Charybdes.
Multi; in hoc Mari, belligeri Tritones,
Affricis cedunt Zephyri,
halcyonia, siccaab Arcto, perturbat tẽpestas.
Adeo ;
ut jam nesciat cui domino, pareat unda maris,
Hinc rarus Xerxes,
qu huic Helesponto injiciat compedes,
ut illi obediat;
rarus Polycrates;
qui etiam dato, à fortuna annulo,
hoc sibi desponset æquor,
ne insolescat fidem servando;
rarior tendens ad suum Beneventũ Palinurus,
qui optatum scopum, sine fatali attingat cetascopo.
Elevata supra hanc sortis vicissitudinem,
Gentilitia Tua Flumina,
PRINCEPS CELSISSIME.
nullas ab Aquilone expavescunt procellas,
quibus, conjurati, veniunt ad classica venti.
Tollunt hæc suos ad sidera fluctus (*a*)
quorum, primum, ille devenit ad marginem;
qui caput inuestigavit Nili.

(*a*) Virg: I. Æne.

Icari

Icari renovat casum;
ſcilicèt in propontide mergitur ſudoris,
qui Horum Fluminum altitudinem, intendit menſurare.
Per quos illa, meritorum currunt tractus.
Tractatus ab impoſſibili.
Nil de repente magnum;
ex humili ſurgit therebinthus herba,
immenſa, ex ſtillantibus guttis, coáluere æquora;
Hæc Flumina, nunquam licuit parva videre.
Quæ jam in prima ſcaturigne Mare erant:
Hinc illa in brevem redigere iſthmum,
idem eſſet,
quòd Atlanticū Oceanum in heſternum reducere fontē,
Ut aureo Cælum Poloniæ depluret imbre,
de his Fluminibus cataractas ſumpſit.
Luſtra Faſtos, Syntagmata Myrobiblia,
reſcies, quòd in his Fluminibus,
non unus hoſtis Polonæ Libertatis Pharao, eſt ſubmerſus.
Fluentia nunc, nos docent ſæcula,
Anteacta, ſi redire, poſſent tempora, teſtarentur,
Hæc Flumina, Cæſarianas non niſi portaſſe Claſſes;
& hujus Regni totam,
ſecurè vexiſſe fortunam.
Quæ tantū Imperia, Regna, circumaluerūt & Povincias;
in illis, vel aurea excrevit meſſis,
vel Signatorii ſupremæ Authoritatis maturuere Faſces.
Irrigatum, his Fluminibus *Pannoniæ Solum,*
legit inſcriptos, Regum nomine Flores;
Neapoli, Venetiis,
non ſimplices ex ſe protulere lapillos,
Sed gemmas Virorum,

Sceptris, Mitris, Clavis, & Scipionibus, inserendas.
Non utor verborum lenociniis;
ZOARDUS, Sol ille Coronatus,
(primus KOMOROVIANÆ FAMILIÆ Author,)
de His Fluminibus,
ad Honoris in *Pannonia*, exortus Apogæum,
sparsit Orbi diem meliore coma.
CertèGens hæc, favore Superum, electa ad Imperiũ,
& in suis Propaginibus, Stirps certè aliis felicior,
Primogeniti Sangvinis florem,
explicuit in Purpuras & byssos,
tenuavit in Anademata, & Vittas,
divisit in Epomides & Trabeas,
statim in vere, per *pulchram Antithesim*,
perfectos cujusvis Honoris protuerat fructus.
Loquor, quod me edocent Annales:
necdum Sarmatica Aquila ad Regale evolavit Solium,
jam in *Cyphis, Caraffis, Donatis*,
KOMOROVII,
Suprema occupârunt subsellia,
adhuc infans Polonia non suffulciebatur Sceptrô.
& jam Honorariis insigniti Fascibûs,
ibant Venerandi, Statores & Catones,
KOMOROVII.
Narrant sibi mutui Menses,
dies diei indicat scientiam,
quam Honorificum est, eratq;,
KOMOROWSCIORUM NOMEN.
Cælum cum Sideribus, in Archimedis ostenderet vitro,
qui KOMOROWSCIORUM Domum,
sub structuram Oratoriæ vocaret Artis.
Do-

Domus Hæc, fæcundior Cretâ,
ad Aras Joves, ad Solia dederat ex se Tonantes,
Domus Hæc Regia est,
illâ Rhodûm celebrior;
cui pro columnis, adsunt Viri, Orbis columina,
pro obryzo, capita ut aurum optimum,
Arbor Hæc Consangvinitatis,
o quam ampla! & protensa!
in æstu infortuniorum, sæpè protegit Patriam;
Clavas Tentoriis, Curiis dederat Caduceos.
In Hac Arbore,
in PAULO IV. PONTIFICE Maximo,
de Gente *Korczakorum* CARAFFA,
Genus Supremum, Honorum est.
Noscat ergo Polonia!
Principem ex illa habere Domo,
cum qua Superi suum divisêre Imperium;
& cui, suam, cum lembo Petri, commisêre fortunam,
Ad Archi Præsuleæ Dignitatis Tiaram,
ex eodem conchylio hebetur Unio,
ex quo & Gemma ad Triregia.
Satis est aliis;
vel educari ad Sceptra, ut Æacidæ;
vel rapi ad Ministeria, ut Ganymedes;
Gens hæc dilecta Diis,
ex abyssali arcanorum Dei Sacrario,
quòd fuerit electa, ad quævis Maxima,
manifestatũ est in PAULO PONTIFICE.
Attendite!
quantum sit, *Komorovianæ Familiæ* Corpus;

quodt Caput Ecclesiæ gessit.
Feliciores Polycrates,
KOMOROVII,
Piscatoris Annulô, ipsos sibi desponsârunt Cælos.
Asserui Genus supremum Honorum,
in hac Consangvinitatis Arbore esse,
ejus species si quæris?
CHODOROWSCIOS, ZORAWINSCIOS, DERSZNIAKOWSCIOS, BRANICCIOS, *in Russia, Podolia, Volhynia,*
Domus Celeberrimas scias.
Probatum fuit,
quòd raro Nomina rebus correspondeant suis;
Poloni, Polo nil acceptabile agebant,
pro sacro igne, ustuarios accendebant focos,
Non alia adolendo thymiamata,
nisi sordida, superstitionum suffimina;
non dico Aris,
sed nec haris, digna idola adorantes.
Flumina hæc,
impuros extinxêre Dagones,
Lethea bibenti pocula Orbi Polono,
in salutare antidotum abiêre,
Aliàs,
superstitionis infecta toxicô *Lithvania,*
cùm his Fluminibus, *Fontem* hauserat Vitæ,
sub VLADISLAO JAGELLONE Primo,
levavit, ad Diademma Caput,
unita Christo, adjuncta Regno.
Sileat divitem Lydia Tagum,
KOMOROWSCIORUM Flumina,
è Hun-

è Hungariæ confiniis,
tot Poloniæ secum invexêre clenodia,
quot prudentes in toga,
fortes in Sago;
Plagæ Septemtrionalis Hectores,
Publicæ fortunæ Restauratores,
Polonæ Libertatis Tutatores,
Romano-Catholicæ Religionis Zelato-
Hereseôs extirpatores, (res,
KOMOROVIOS.
Pridem His, totus in Lydium abierat Orbis,
Primi in dotem cessere Honores,
Illustrissimi Titulorum Splendores,
nativa semper KOMOROWSCIORUM fuêre Decora;
Maximæ, in Utroq; Subsellio Præeminentiæ,
vel lege Successionis debitæ,
vel per analogiam attributionis propriæ.
Non lustra, olympiades, trieterides,
sed ipsa testantur sæcula,
Pervetustam KOMOROVIORUM Domum,
eadem, cum Orbe Europæo fundamina habuisse.
Annus supra,
millesimum, trecentesimus, septuagesimus erat,
dum COMES in Liptow & Orawa,
Dinastiarum & Arcium,
Rozêbergæ, Zabineciæ, Hradeciæ, Stargardiæ, Sanicolanæ
in Hungariæ Regnis,
HÆRES.
& post in Regno Poloniæ,
amplissimo Comitatu Zyvecensi,
cum Arcibus Bervald & Szafflary,
 apud

apud RADULTOS;
ingenti ære in hæreditatem coempto,
COMOROUIANÆ DOMUS,
PROTOPARENS,
DEMETRIUS
KOMOROWSKI,
Sarmaticas veniens ad Oras,
à
LUDOVICO
Poloniarum tunc REGE,
factus est *Supremus Regni*,
THESAURARIUS.
Non sejunxit cor suum, à Thesauro Regni,
DEMETRIUS;
redditum sibi, à LUDOVICO, inter alios Proceres;
Illud inæstimabile, Regni, & Throni Clenodium,
HEDVIGEM, Poloniæ Reginarum Sanctissimam,
ita custodivit THESAURARIUS,
ut JAGELLONI, Magno Duci Lithvaniæ,
fideliter, in Thori Throniq; ornamentum, reddidisset.
Ad hunc Regni Thesaurũ plurimum accessit,
à THESAURARIO DEMETRIO,
qui non jam aurearum, è visceribus terræ venarum, medullas,
sed ex Purpurei sui sangvinis Mari, injecerat gemmas.
Non ne pretiosus erat Ternio,
(ELISABETHA, quæ DOBROGOSTO,
Castellano Posnaniensi, Generali Majoris
Poloniæ, ANNA, quæ TĘCZYNIO, Cracoviensi, CATHARINA quæ OLESNICCIO,
Sandomiriensi, Palatinis, in votorum cessere Coronam,)

ex

ex BOGNA,de Armis eorumdem KORCZAK,
veriores Charites, tres relictæ FILIÆ.
Sileat Roma, suas Sabinas!
quod trecentos illi educaverint Fabios;
CATHARINA de Komorowsciis,
Pulcherrima, *Stirpis Olesniscianæ*, Radix,
duodecem Filiorum, Mater,
Patres Patriæ, Senatui Catones,
Castris Duces, Aris ablactavit Pontifices.
Hujus Conchæ Unio pretiosissimus,
S B I G N E U S
CARDINALIS OLESNICCIUS,
Qui ex REFERENDARIO Regni,
EPISCOPUS CRACOVIENSIS;
Pontificiæ Tiaræ, junxit Ducalem Mitram,
Pastorali Pedo, addidit Gladium,
DUCATUM Severiæ, proprio emptum ære,
Suæ in dotem transcribendo Sponsæ.
ARCHIEPISCOPUS GNESNENSIS,
inter Polonos Antistites, *Eminentissimus*,
egit omnes, quas requirit,
Pontificum, Sacra Mitra partes.
Meruit sacras, in Senatu Romano Purpuras,
Polono *Mercurio*, Latium non denegavit Galerum.
Orbis Sarmatici, & Cardinalitiæ Rotæ,
Personata dici poterat Intelligentia,
O L E S N I C I U S.
Sileri nequeunt.
JACOBUS & NICOLAUS,
Paternis,
de lumbis Demetrii procedentes Filii,

Duo fulmina belli Scipiadæ,
pro natali solo *Coclites*,
pro Patriis laribus Curtii,
in quavis athletica *Militiades contra Xerxes*,
Scævolæ contra Porsenas,
Camilli contra Tarquinios,
Quorum primus in *Lithvaniam Ductor*,
adversùs vesanas Tartarorum procedendo rabies,
pulchrum censuit Heroem in acie mori.
Alter NICOLAUS,
Partes *VLADISLAI Jagellonidis* secutus,
rebelles, redivivosq; illius temporis Achivos,
cum rebellium Duce, cognominis *Iskra*,
victos, vinctosq; ex recepta docuit clade,
quæ fidelitas Majestatibus, est servanda,
Supremus Scepusiensis Præfectus,
fædifragos invasores Hungaros,
sua redire coegit ad spelæa.
Dic hic sæva barbaries!
si ad ipsas hucusq; non sentis medullas,
PETRI KOMOROVII,
vindicem in Tuis cervicibus gladium,
ad *Choynicam, Grunevaldum, Bukoveciam, Ostrovam,*
quem non furibundus quispiam Steropum manibûs,
cudit in Vulcania Mavors,
sed Legum & Fidei exacuit zelus.
Hic *Parentis* sui *NICOLAI* insistendo vestigiis,
in memorandis illis, contra *Crucigeros* Expeditionibus,
etiam propriis stipendiis nervum roborando belli,
Teutonicas oppressit cadaveribûs *acies*.
Vir Hic, ad utriusq; fortunæ vicissitudines natus,
emolliri prosperis, frangi non potuit adversis.

Petra

Petra erat Petrus,
risit quosvis impetus, ut scopulus fluctus.
Lapis non nisi offensionis fuit MATHIÆ
vi & dolô,
Supremos *Hungariæ* capessentis Fasces,
quòd inviolatam servaverit fidem,
PRINCIPI CASIMIRO.
In Uno Sylla, plures se habuisse syllas,
incongruè olim fatebatur Roma,
PETRUS KOMOROVIUS
quid sint? (*antiquitatis refero cõmenta*) bifrontes *Jani*,
trium cordium *Ennii*,
trium animarum *Herilli*,
& *Romæ*,& *Carthagini*,*ãbidextre* fideles *Albani*,
fidus CASIMIRI, Ephestio,
in verbo & opere ignoravit.
In ferro sepultus, majorem vim exerit magnes,
viret inter fulmina laurus,
infra Olympum suos turbines exerit Aquilo,
ecclypsari potest, non extingvi Phæbus,
colossus, etiam in puteo, collosus est,
Dii, sub Timantis velo, Numina sunt;
comes virtutis nõ nocuit malevolorũ invidi
PETRO KOMOROVIO,
ast probatæ fidei erga Reges Virum,
singularioribûs *Casimiri* comulavit Favoribꝰ.
Factus ab Illo *Crasnostaviensis Præfectus*,
ut Bono Publico profuit, testantur Fasti.
Tacere tamen nequeo, quod in suis Annalibus,
ad perpetuam rei memoriam,
C2 Poste-

Posteris reliquerat legendum *Okulscius*,
*Retinetq; usq; in præsentem diem, pro sinceris a-
ctibus, benedictionem Domini, HORUM KOMO-
ROWSCIORUM DOMUS.*
(b) Fide, amore, Zelo, in Patriam, Aras, Religionē,
ita sibi obligavêre Cælum,
KOMOROVII,
ut faciles, semper ad sua vota, habuissent habeatq; Deos,
In Gentilitia *KOMOROVIORUM* Flumina,
manant de sidere fontes (c)
Quorum Avitus *KORCZAK*,
est Cælo gratissimus amnis. (d)
Superbit Tagô Hispania,
quòd aureas volvat ei saburras,
Pactolum Asia, Arimaspum extollit Scythia,
quòd gemmiferis, pretia despument undis,
Avitis KOMOROVIORUM Fluminibus,
hoc debet Polonia, quod Ægyptus Nilo.
Septem ille fluit ostiis,
Hæc in diversa Familiarū exundarūt Capita,
In *Podolia KOMOROVIORUM* Caput adoro
LAURENTIUM KOMOROWSKI,
NICOLAI Capitanei Lanciciensis,
Ex *Ożaravia* armorum *Rawicz*, Filium,
Qui à Castro, quod possederat *Strussow*,
Strussorum dedit Nomen *KOMOROVIIS*,
Auxit *Gentilitia Flumina*,
DUCUM *in Wisniowiec*, POTOCCIORUM,
SIENINSCIORUM, KALINOWSCIORū,
dedu-

(b) Okulski in suis annalibus. (c) Manilius. (d) Virg: l. 2. Æneid;

deducendo in illa Sangvinis Mare.
Felicem & *Georgium STRUSSOW*,
in expeditione, contra *Bogdanum* Moldaviæ Principem,
victrices recepisse palmas,
testatur in annalibus *Cromerus.*(e)
Nicolaus ex Potocka *Struss KOMOROWSKI*,
à SIGISMUNDO III.
Senatoriâ ornatus Purpurâ,
nec non
Haliciensis, *Sniatynensis*, *Kołomyensis*, *Chmielnicensis*, *Lubaczoviensis*,
CAPITANEUS,
Livonum, Hunnorum, Valachorum, Getharum, Moldavorum, Turcarum,
ad *Borysthenem*, *Istrum*, *Pruth*, *Danubiũ*, *Fluvios*,
Terror & Victor,
triumphîs illustravit Poloniam,
Per Quem,
pristina Sarmatarum potentia,
in Sardynium exteris, abitura cachinnum,
mentibus rememorata odiosis.
Ecclesiæ, *Patriæ*, *Senatûs*, *Militum*.
Delicium erat,
ex Cujus, post exantlatos, de Republica, labores fatîs(e)
ut doluit, *Ecclesia*, *Patria*, *Senatus*, *Milites*,
in Epitaphio, ECCLESIÆ Camenecensis recẽsetur.
CHRISTOPHORUM Castellanũ Osvecimẽsẽ,
COMITEM in Zywiec *KOMOROVIUM*,
celebrant Regni hujus volumina, (*f*)
quòd in communi illo incendio,

D dum

(e) ex monumento Camen: de A. 1627 (*f*) Constitutio Regni, A. 1586.

dum ad proximum Ucalegontem,
& noster paries, intestinis ardebat flam̃is,
amantissimus suæ Patriæ fuisset Anchises.
Destitutô animâ, Lechiadum Corpore,
quod non sine dilaceratione membrorum erat,
jam jam publica exspirabat salus,
CHRISTOPHORUS,
etiam de proprio, pharmaca providebat.
Defuerunt fulmina Sarmaticæ Aquilæ,
cùm & Tonans in Throno, defuisset,
Hic Patrium defendebat nidum,
tempore Interegni,
aliquot Signa propriis stipendiis sustentando,
Avitarum opum, in usus Patriæ largissimus,
ut venum iret, sub Polonorum *Othomanus* arma,
in apparatum belli, decem erogavit millia, (g)
æris auriq; tinnitu,
ad funera Bizantii, Polonum militem convocavit.
Par Philippo, argenteis pugnanti hastis,
æqualis Alexandro, aureo decertanti asellô.
Revocavit, *Tiberii, Vespasiani, Numæ*, memoriã
octavus numerô,
NICOLAUS KOMOROWSKI,
CAPITANEUS OSVIECIMENSIS,
Plenæ fuerant aurô, NICOLAI manus,
& ad præmia largæ;
profundebant opes, in inopes,
dotabant muneribûs, *hominesq; Deosq;*
Vocalis est ejus munificentia,
mutis quantumvis credita saxis,
hanc

(g) Constitutio Anni 1591.

hanc non ſolum in ſui hiſtoria, extollit *Cichoccius*, (h)
ſed & in *Baſilica Zywiecenſi*,
Capellîs aucta, ſplendidâ ſupellectili ornatâ,
ex Ejus liberali Fundatione,
indiem laudes decantantes MARIÆ;
deprædicare Orbi, non ceſſabunt.
Erectus in Xenodochii Titulum lapis,
abiit NICOLAO, in immortalis Gloriæ monumentum.
Ita ſe Cælitibus impendit,
ut et totam, in Aras & pauperes, erogare fortunam,
paratus fuiſſet NICOLAUS.
Sed nulla melius ſuccedunt commercia,
quàm quæ ſunt cum Superis:
plus opum ejectant maria, quam acceperint;
projectam in ſe ſementem, reddit cum fænore tellus:
Quæ largimur in Superos, multiplicata redeunt.
Benedixit *Domui NICOLAI* Cælum,
in Cujus ſpem & Gloriam,
ex Anna, de *Myrow* Marchioniſſa MYSZKOWSKA;
Sygiſmundi, Supremi Regni Mareſchalci *Filia*
Stephanum, *Andream*, *Petrum*, *Sigiſmundum*
& *Joannem*,
Nominis, Sangvinis, & Virtutis *Komorovianæ* Hæredes,
in quinq; NICOLAO dederat Filiis.
Æquavit pietate Parentem STEPHANUS,
in Divorum Pulvinaria æquè liberalis.
Hujus largitatis eſt argumentum ad oculum,
Eccleſia Parochialis in Sonsk,
Ejus ſingulariori munificentiâ à fundamentis erecta,
proventibûs dotata, intus & extra,
adornata,

D2 Ca-

(h) Cichoccius in ſui hiſtoria NICOLAI KOMOROWSKI, *Capitanei Oſvecimenſis*, in pauperes & Eccleſias deſcribit munificentiam.

Castra secutus ANDREAS,
Nec ad Scythicam *Mæotidem*, Daniamq; *Propontidem*,
de virili quidquam remittens calore,
hoc monstravit,
quòd etiam Polonum flammas foveat Ilium,
quibûs proximus ardeat Ucalegon,
quamvis Hyperboreis, subjecta algoribus Sarmatia,
& tamen Vulcaniam, & sua habeat æstuaria.
Sub *Kaznovio* & *Potoccio* Ducibus,
Copiarum Regni Exercitûs *PRÆFECTUS*,
triginta annîs non exuit Sagum
sævam *Scytharum* barbariem,
Extra inhospitales *Tanais* fugavit recessus,
numerosas *Cosacorum* turmas,
ultra *suam* propulsavit & redegit *Borysthenem*;
fastum compescuit *Hyperboreum*,
Contra *Roxolanum Leonem* Polonus *Hercules*,
edocuit Moschoviticum Briareum,
tutiori fide *Volgam* bibere,
quàm Polonum sitire sanguinem.
Prototypus dexteritatis *PETRUS*,
Regio, & Rei-Publicæ Nomine,
Cosaticæ Genti COMMISSARIUS,
SIGISMUNDO tertio protunc,
& VLADISLAO quarto dein *Regibus*,
ab hac fæce hominum, & abortivo naturæ partu,
Ukrainam, *Lithvaniam*, *Russiam*, purgavit, liberavit.
Celebris Togâ CHRITOPHORUS,
Plurimum sudavit & alsit;
ex *Przyłecka* CONSTANTIAM Filiam,
JOANNI WIELOPOLSCIO,
Supremo Regni CANCELLARIO,

connubiali desponsando Annulô,
coæva Poloniæ, & inter *duodecem Palatinos*,
liberis Sarmatiæ, leges dictantiũ Quiritibus,
TOPOREORUM,
post hac
SZAFRANIECCIORUM,
Pervetustæ Familiæ, NOMINA,
Komorovianæ obligavit DOMUI.
Hujus Pulcheriæ
ut formam incomparabilem, sic & qualitates excelsas,
commendant Posteris Fasti,
Virgo, seu formæ venustate, seu decentiâ morum, toto LUDOVICÆ REGINÆ, Gynecæo præcellens. (g)
Intulit hæc *Pandora*,
in Illustrissimam WIELOPOLSCIORUM Domum,
præter insignes, animi, Corporisvè dotes,
(*etiam Diannæ, Nymphisq; negatas.*)
non solùm plurima alia,
ornamenta & decora,
sed & avulsum (h) *Zyvecensem* restituit *Comitatum*.
(*narrante Kochovio*)
evenit etiam ut Comitatus Zywecensis, olim DOMUS KOMOROVIÆ Hæredum sed à REGINA, CONSTANTIA, JOANNIS, CASIMIRI Matre, pro apanagio Filiis coëmptus, quòd redimendi cautio in contractu apposita foret, ab eodem WIELOPOSCIO, UXORIS NOMINE REPOSITA SUMMA, à Regia possessione vindicatus est. (i)
In hac Hieroina,
Formæ Generisq; decus, humili non attollostylô,
sufficit ad ejus gloriam vel innuisse,
Illam fuisse KOMOROVIAM,
nupsisse WIELOPOLSCIO.
Redeo ad JOANNEM,
E *Da-*

(g) Kochovins, Clim: 3. lib: 4 fol 163. in descriptione Pom pæ nuptialis. (h) A 1624. (i) Idem Ibidem.

Dapiferum Belzensem, Judicem Terrestrem Cracoviensem,

præmemorati NICOLAI

Castellani Osvecimensis quintum Filium.

Tres tantùm Pòëtæ fingunt gratias.

à JOANNE innumeræ processerunt.

Beneficentiâ erga pauperes,

Liberalitate erga Cælites,

amore erga Cives,

fidelitate erga Majestates,

heroico passu præivit omnibus,

hac in parte,

vel par Maximis,

vel major JOANNES.

Judex Terrestris *Cracoviensis*,

districtum Themidis vibrando gladium,

velut alter *Achilles, in vulnere sanabat,*

Aurô sunt non raró venalia Jura.

JUDEX KOMOROVIUS,

in Pactoli naufragari fluentis,

sua non periti in arte, censuit Palinuri fore,

ad umbram *argenteæ Lunæ*,

in hanc vel illam, agitari partem,

arundini, non colosso, judicavit proprium.

In Legationibus ad *Comitia Regni*,

parem Cyneis,

In Consiliorum & *Consultantium Stuba*,

Romanis æqualem Fabiis,

declarant Legum patriarum Tabulæ, (k)

quomodo contra *Clodios & Caligulas*,

in

(k) de Anno. 1628, 1623, 1631, 1631, 1637, 1628.

in verbis tonabat *Pericles*?
pro Patria contra *Catilinas*,
Polonus in Senatu perorabat *Cicero*?
veriora *Tripode* fundebat oracula,
fuerat consiliô magnus,
potens eloquio,
fide & zelo Maximus,

LEGATUS KOMOROVIUS.

Sileo ADAMUM ex *Lipska*,
Canonicum Cracoviensem, Abbatem Wąchocensem
STEPHANUM Hæredem Bonorum,
Suszno, Niestanice, Chyszowice, Łuszczow, Lemieszow & Sortium *Trzeszczany*, Cohortis Regiæ *Tribunum Succamerarium* Bełzensem,
& JOANNEM ex *Myszkowska*,

KOMOROVIOS:

SOPHIAM Canonissarum Varsaviæ *Abbatissam Consecratam*,
TERESSIAM nexu BEKIERSKAM,
Capiteneam Ostrovinsem,
& alias
Poloniæ Senatorum, Senatoribus Consortũ
Matres KOMOROVIAS.
Magna sunt ex se NOMINA,
dici nequeunt majora,
illustrissimus est etsi non indigitetur Phœbus,
immensa sunt Maria, etsi non monstrentur in tabulà,
sine palmo & decempeda Regia Solis, Regia est.
Expolitur orichalcum non item Aurum,

Stybium & cerussa honestat medusas,
deturpat Gratias.
Satis illis ad gloriam,
satis *Komoroviani Nominis* ad magnificentiã,
quòd
TENCZYNIIS, LESNICCIIS, KONIECPOLSCIIS, KORYCINCIIS, KALINOWSCIIS, WISNIOWIECCIIS, LANCKORONCIIS, WIELOPOLSCIIS, KOSTKIS, ŁASCIIS, MŁOCCIIS, BUZENSCIIS, HULEVICCIIS, ORANSCIIS, ZŁOTNICCIIS, BEKIERSCIIS, MAKOWIECCIIS, ZŁOCCIIS, GRABIANKIS.
Nuptialibus junctæ fæderibus,
in tot FAMILIARUM venas,
cum *Gentilitiis Fluminibus*,
Komoroviana de Stirpe, diffudere Sangvinem,
Satis & KOMOVIIS ad Gloriæ fastigium,
quòd
POTOCCIÆ, TARNOVIÆ, LANCKORONIÆ, MYSZKOVIÆ, LIPSCIÆ, LUTOMIRSCIÆ, PLAZIÆ, DEMBINIÆ, PRZYLĘCCIÆ, PRZERĘBSCIÆ, OZAROVIÆ, ŁOPACCIÆ, ROSTKOVIÆ CICHOCCIÆ, JAROCCIÆ, SULMIRSCIÆ, RADECCIÆ, SŁUGOCCIÆ, KUMANIECCIÆ,
Eorũ Splendoribus, suos junxere Splendores.
Pæterire tamen silentiô nequeo,

ADAMUM
VENATOREM
BUSCENSEM,

è Paterna Linea,
AVUM Tuum Dignissimum,
PRIN-

PRINCEPS

CELSISSIME,

Cujus de *Republica* Merita,
pro *Fide*, *Rege*, & *Lege* mens heroica,
non diphteras tantum, ſed Faſtos,
nonElogiaſtas ſolùm, ſed & Hiſtoricos poſcũt:
Ex CATHARINA Jarocka, Armorũ *Rawicz*,
Enſiferide Præmislienſi,
SEBASTIANI Branicki, Armorum *Korczak*,
EPISCOPI Poſnanienſis NEPTE,
prognata ex PONIATOWSCIA,
germana Sorore,
hodierni PALATINI *Mazoviæ*
PONIATOVII
Viri,
Authoritate, *Gravitate*, *Prudentiâ*, *Conſiliô*,
Dexteritate & eloquiô,
In Republica, Senatu, Caſtris,
domi & foris venerandi,
JOANNEM
Dapiferum Novogrodenſem,
cum reliquiſſet Orbi Polono,
Cives, *Proceres*, & ipſam *Vice-Regiam*
Majeſtatem,
eô ipſô obligaverat ſibi,
quòd Tui Parentem

ARCHI-PRÆSULUM

CELSISSIME.

Qui ſicut Paternos Splendores,
ita & Materna,
ex SULMIRSCIIS,

CONSTANTIÆ
GENITRICIS TUÆ,
ſimul cum Sangvine derivata Decora,
Celſiſſimis auges Titulis,
ad Primatiale, hoc in Regno, attollis Faſtigium,
Avorum, Atavorumq; Imagines,
appendis in Ara, Archi-Præſulei Honoris.
Et ideo,
ſi ſuo Principe, ſuperbit Thronus, Liv. 9.
attolitur Te Tanto PRÆSULE,
Gneſnenſis Archi-Cathedra,
Non enim ex *humili* conſcendis illam
MAGNUS PONTIFEX,
[ſed ex hac, prodiens Princeps ad Mitras Domo,
quæ à ſuis Majoribus Maxima,
a Principibus Ducibuſq; Celſiſſima,
à Cognatis, ipſis Serenitatibus, Splendoribus,
dici meretur Sereniſſima.
Cujus ipſa Atria
AVITIS,
ILLUSTRISSIMI & EXCELLENTISSIMI DD.
JOSEPHI Marchionis *in Mirow,*
GONZAGÆ MYSZKOWSKI,
SANDOMIRIENSIS CASTELLANI,
è Ma-

è Materna Linea,

AVITUI,

Ducum Mantuæ GONZAGARUM,

ſunt fulta triumphis,

Claris Aborygenum,

Per

ANASTASIAM MYSZKOWSKA,

Marchionis CASTELLANI NEPTEM,

MICHAELI JORDAN,

Braclavienſi *PALATINO* nuptam,

etiam & in vera effigie,

Hujus Meritiſſimi de Republica *SENAtoris,*

A D A M O,

Digniſſimi *PALATINI,*

ad Summa deſtinato FILIO,

Viro omni Titulo Majori.

lima ingenii, judicii prudentia, rerum notitiâ

ac aliîs ſingularioribûs excellentibûs Dotibûs;

in Republica & Orbe Polono,

Primis & Maximis digno Curulibûs,

undiq; fulgent Imaginibûs.

Ex hac inquam prodiiſti DOMO,

Cujus Summitas,

Per

MAGDALENAM CZARTORYSCIAM,

Marchionis *CASTELLANI Conſortem,*

AVIAM TUAM,

in JOANNE & ALEXANDRO;
Ducibus CZARTORYSCIIS,
VLADISLAI,
Poloniarum & Hungariæ REGIS,
binis Patruelibus FRATRIBUS,
Duorum in Europa Regnorum,
est vicina Majestati,
Capessis Primatialem Dignitatem,
sed illam pridem,
ut ex KOMOROVIA in
ZBIGNEO OLESNICCIO,
Verùm & in Duce,
FLORIANO CZARTORYSKI,
ARCHIEPISCOPIS GNESNENSIBUS,
Nepos Abnepos tenuisti.
Sunt Tibi
PRINCEPS
CELSISSIME,
magno gloriæ argumento,
magna Titulis & Honoribûs,
Majora Factîs & Meritis,
CZARTORYSCIORUM, *per Myszkovios*,
JORDANORUM, WIELOPOLSCIORUM, *per KOMOROVIOS*,
PONIATOWSCIORUM, *per Jaroccios*,
RZEVUSCIORUM, HUMICCIORUM,
per Radeccios,
CICHOCCIORUM, SŁUGOCCIORUM,
KUMA-

KUMANIECCIORUM, ZŁOCCIORUM SOŁTYKOVIORUM,
per Obodyńscios,
SVISCIORUM, *per Sulmirscios*;
OZGAS & GLUZICCIOS,
per primas, in *Polonia*, *Lithvania*, *Russia*, &c.
Sellas, Curules & Subselia,
continuò provecta NOMINA.
Honorarii Majorum Fasces,
Peda, Clavæ, Scipiones,
ad Primatialem Tibi præluserunt Crucem;
Mitræ, Dibaphæ, Senatoriæ *Purpuræ,*
auspices Tibi Archi-Episcopalis fuere Pallii,
Sed simul & Tua de Republica & Ecclesia merita,
ad hoc, Vice-Regiæ Authoritatis Solium,
Solidos Tibi struxere gradus.
Relucebant in Te *Pontificiæ Virtutes*,
antequam *Antistes esses*,
Religio, Pietas, Eruditio,
Præsuleæ in Te erant,
antiquam fieres *Præsul*.
Vix Sacis admotus Aris,
jam statim poteras regere *DIÆCESES*;
sed ut morè processisses Solis,
(qui non statim luctatur in meridiem)
lento passu, sed maturo gressu,
ad *Archi-Præsulei Honoris* ivisti Fastigium.
Obligatum Tibi fuit vel jam tunc, Academicum Studiū,
quòd ei Tua eruditione gloriam, toto in Latio feceris,
Lustrâsti Romam, sed non eorum more,
qui solertiùs quærunt,
ad quam Portam epulabatur Annibal,
non in quo Tusculo, loquebatur Tullius;

In Romano Tyberi,
ipsam totius sapientiæ exhausisti medullam,
& quod à Capite Orbis didiceras,
jam tunc resciverat Polonia,
cum Te reducem salutaverat.
Dimisit *Cracoviensem* Roma *Canonicum*,
ut in illo,
Infulatorum, & *Infulandorum* Seminario,
Tiaris prælusisses & Purpuris,
præmisissesq; Stallum,
ad Archi-Præsuleam Majestatem.
CRACOVIENSIS CANCELLARIUS imò,
mox PRÆPOSITUS,
jam meritorum Dignitate,
Prælatorum in Regno fuisti PRIMAS,
Lublinensi, sive *Petricoviensi*,
cum JUDEX Tribunali assideres,
nullæ in Te corrupti sæculi profecerunt artes,
circumferendo ubiq; Areopagum,
omnes erudiebas ad justitiam.
Sileo prope Divinas in Te Dotes,
apud Calemonem ut laudarentur Numina,
Orator debuerat, Cælo descendisse ab alto.
Sæculorum non temporis negotium est,
in Tuis desudare Laudibus,
Annalium, non hujus paginæ labor,
Tua de *Republica* & *Ecclesia* Merita,
modernis ad Pompam,
posteris ad stuporem, relinquere sæculis,
ego nolo, *magna tenuare parvis.*
Ponderavit hæc,
Serenissimus & Potentissimus,

AUGUSTUS III.
REX
POLONIARUM, INVICTISSIMUS,
& *Vice-Regiã*, quia *Primatialem*,
contulit in præmium Dignitatem.
Inde: Applaudunt cum Patria Cives,
quòd Te Primum Patrem Patriæ habeant,
ADAMUM,
Exultat Ecclesia,
quod maximum Religionis *Assertorem*,
gestiunt Aræ,
quòd accerimum sui Defensorem,
gaudet Senatus,
qüod Oraculorũ Tripodẽ, cõsiliorũ Numen,
Togatæq; gloriam Gentis,
habeat
IN TE PRIMATE.
Adsunt cum votis,
STEPHANUS MAMMERTUS,
Dapifer Betzensis, Armamẽtarii Regni *Colonell9*,
triginta Annis Poloniæ Heros,
Italiæ, *Germaniæ*, *Galliæ*,
Sapientiâ. Dexteritate, & Genere clarus,
JOSEPHUS *Dapifer Horodlensis*,
in Legationibus ad Comitia Regni,
Grodensia & *Varsaviensia*,
referens Consos, veteresq; Catones;

G PE-

PETRUS *Venator Braclaviensis*,
super Quo Templum altissimorum stetisset Honorum;
ni in sepulchralem lapidem incidisset.
MARCUS CYPRIANUS,
Scholarum Piarum post Exedras,
duodeno annorum spatio RECTOR;
etiam in Religiosis umbris,
virtute, Sapientiâ, Meritis, illustrissimus,
IGNATIUS *Helmensis Ensifer*,
MICHAEL *Lubaczoviensis Venator*,
FRATRES Tui quibusvis Honoribus pares
Currit cum homagio, & *Academica Maj: Pol: Pallas*,
quò illam *Gentilitiorum Fluminum*, propellit impetus;
Regio Jagellonicis hoc in Regno Musis,
propitio Numini & maximo Protectori,
ad Aram Archi Præsulei Honoris,
thura devotæ contribuit submissionis;
Gentilitia, *more Romanorum*, coronat Flumina;
Nec retrahit illã exigui verecundia muneris,
cùm etiam *ore minori ingenioq; volunt*,
Numina Magna coli.
Et sicut,
præter illustrissimæ ornamenta DOMUS,
etiã sum̃a excelletissimarũ qualitatũ Decora;
congestis pro Te certârunt suffragiis;
sic & nostrum certabunt apud Superos Studia;
Publico Solatio, Populi commodo Musarũ præsidio,

V I V A T
PRINCEPS

millenos cum Nestore annos.

APPLAUS

APPLAUSUS
Generosæ Juventutis Gnesnensis,
ad Solennem Ingressum
PRINCIPIS CELSISSIMI,
Stylô Anagrammaticô
DECANTATUS.

PROGRAMMA,

ADAMUS, COMES in *Liptow*, & *Orawa* COMOROVIUS, LEGATUS NATUS, PRIMAS PRIMUSq; PRINCEPS POLONIARUM, Vivat.

ANAGRAMMA I.

Quem, Vaticana Sedes Purpurâ ornavit, Istum colo, vota pono, incolumis, prosper, almus Vivat, Gèma sis puri.

EPI-

E P I G R A M M A.

Istum mente *colo*, reverenti voce ſaluto,
Ornavit Sedes Quem Vaticana VIRUM.
Qui cum *ſis puri* Dominatûs *Gemma* Poloni,
Purpura demonſtrat, Quam geris, atq; Mitra.
Vota DUCI *pono*, *PRIMATEM* pronus adoro,
Incolumis, *Proſper*, *vivat*, & *Almus* ovet.

Jacobus Zaleſki.

ANAGRAMMA II.

Nomine Magnus, re ipſa Antiſtes Summus, à populis colitur, Cui Viro Patria applaude, votum cura, quo ore mos.

E P I G R A M M A.

Qui nunc *à Populis colitur*, de *Nomine Magnus*
Antiſtes Summus Dignus ab *ore* coli.
Nunc *applaude Viro* Cûi debes *Patria* multum,
Ipſa re moveas Carmina, dulce melos.
Quô celebrare Duces applauſu ſcis bene *mos* èſt,
Nunc *cura votum*, Eî ſerviat aura favens.

Mathias Zaleſki

ANAGRAMMA III.

Omnia Regnante Duce, Poli proſpera, tuta ſperamus, Laus ſumma Jovi conquiratur, Jo majus pio cultu, poſſum.

E P I G R A M M A.

Advenio lætus, votivo carmine, *cultu*
Semper prociduo, *proſpera tuta fero.*

Omnia

Omnia ſperamus nunc fortunata Poloni,
Hoc DUCE Magnanimo ſponte *Regnante pio.*
Conquiratur Jo, majus poſſum dare, *ſumma*
Gloria, *Lauſq; Jovi* currat ad aſtra *Poli.*

Ignatius Wierzbinſki.

ANAGRAMMA IV.

Auguſtal Majeſtatis Polonæ, CELSISSIMUS *emineat diuturnus, propriâ Purpurâ Major, cum Quo ponam, voco.*

EPIGRAMMA.

Fortibûs impellor ſtimulîs ut carmina *ponam*,
Vos *voco* Pierides, *propria* Vota date.
DUX CELSISSIMUS Hic Quem Gneſnea *Purpura* veſtit
Emineat, cum Quo Patria *Major* erit,
Auguſtal Majeſtatis, famæq; *Polonæ*,
Vive *diuturnus* talia vota tuli.

Maximus Podkowſki.

ANAGRAMMA V.

Quem Populus vovit videre, eminuit, Aras Sanctorum, Patriam implevit magno plauſu, Cui ſonos paro Sacros.

EPIGRAMMA.

Omnis *Quem Populus* voluit *vovitq; videre*,
Eminuit Lechiæ PRÆSUL Honore Prior.
Qui *Patriam magno Plauſuq;* implevit amœno,
Aras Sanctorum, firmat utraq; manu.

Incolumis vivat, capiat de Sede Galerum;
Cui merito Sacros, nunc *paro* corde *sonos.*

Ephremus Podkowski.

ANAGRAMMA VI.

PRINCIPIS Venerãda Potestas, quo plausu replet Sarmaticã oram, Magno Viro, Is solus votum vivum cupio.

EPIGRAMMA.

Principis Excelsi *replet veneranda Potestas*
Oram Sarmaticam, sponte favore pio.
Quo plausu cupio votum deponere *vivum*,
Is Qui parva fero, grandia non valeo.
Vivat longævus felicia sæcula PRÆSUL,
Non *solus* refero talia vota *Viro*

Felicianus Kornatowski.

ANAGRAMMA VII.

O! Alma patet cunctis Sedes, Quam percipit Almus Virorum Piorum SENATOR, Populo Magnus, vovi à Viris ovãs.

EPIGRAMMA.

Alma patet cunctis Sedes, quam percipit Almus,
In Lechico PRINCEPS Orbe *Senator*, EQUES.
O *Populo Magnus!* Quem cernunt vota *Piorum*,
Ut numeret, referunt sæcula Præsul *ovans*.
Primorum PRINCEPS cum sit Frons Prima *Virorum*,
A cunctis *vovi* prospera quæq; *Viris*.

Josephus Okoń.

ANA-

ANAGRAMMA VIII.

Numen Polonorum Summum, Aquila Sarmatica posside viva, gratô ipsum respicias votô, rues poplite curvato.

E P I G R A M M A.

Cor applaude meum, *curvato poplite* sacrum
Respicias Numen, omine fausta *rues*
Tota Polonorum gratò Quem suscipe *votô*
Turba, *Ipsum* merito posside, & acta canas.
Sæpe *Aquila* Hunc vidit Patriæ *Sarmatica Summum*,
Semper vota feras, *viva* perennis eris.

Ignatius Okon.

ANAGRAMMA IX.

Approperavit lacteus Cãdor Rivorum Avitus, Quem longo tempore cupivimus apti, lavans animos, Musis os.

E P I G R A M M A.

Os Musis hodie constrictum *tempore longo*
Solvitur, ast ego cur! Carmina voce sinam,
Candor Rivorum hunc *lacteus approperavit*,
Fronte, favore lavans *os animosq;* simul,
Advenit *Quem* pridem sponte *cupivimus apti*
Emineat voveo KORCZAK Avitus amans.

Simon Sielski

ANAGRAMMA X.

Reges documentum, miseri solatium, Populus Patronum, prospicis oculis; quare in nova vota pariat Musa ave.

E P I G R A M M A.

Cum *Reges* habeant verum fidei *documentum*,
Patronum Populus, *prospicis* hoc *oculis*.
Ex Illo *miseri* certum *solatium* habebunt,
PRIMATEM venerans *in nova vota* trahor.
Musa sonum pariat *quare* tua vota moraris,
Jam meus ecce DUCI concinit ausus Ave.

Josephus Borek.

ANAGRAMMA XI.

Torrens Sarmatiæ Populis venit, irrigo applausum, quô susceptô cantum moveas, cura pium donum lusi Jo.

E P I G R A M M A.

Torrens Sarmatiæ Populis cum *venit* in altum,
Applausum meritò reddere Musa volo.
Irrigo nunc *cantum* tu *cura* Patria *donum*,
Quæ *lusi* memini, debet Hic ore coli.
Quo DUCE *suscepto moveas* Celeusmata Cœlum,
Excelsæ DOMUI redditur Jo pium.

Stanislaus Boinski

ANAGRAMMA XII.

O universo læta quies paratur, cum ingre-

gre-

greditur Majestatis pompam Populos amans, vi Cujus Plausum conor.

E P I G R A M M A.

Cum Virtutis *amans Pompam* conscendit amænam,
  Ingreditur, plausum nunc date Castalides.
O *Universo læta quies cum* pace *paratur,*
  Haud *Populos* durum quando gravabit onus.
In *Majestatis* Romanæ Hic Culmine sistat,
  Vi Cujus conor reddere voce sonum.

ANAGRAMMA XIII.

Gratia Ducis eminet, major salus, tuta quies Populo, Templo parans Sonora, promovi scænicum purum vivas.

E P I G R A M M A.

Vota studens refero festivis hisce diebus,
  Ora *sonora parans*, carmina voce cano.
Tuta quies Populo, *Templo* sit gloria celsa,
  Orbi optata *salus* major adesse nequit.
Promovi plausum *purum*, non *scænicum* inanem,
  Eminet è *Cælis gratia* summa *DUCIS*.
Ergo jam vivas nobis solatia causans,
  Semper Honoratus duc sine nube dies.

ANAGRAMMA XIV.

Concludimus tonis quos protulimus, Laus ſumma Jovi appareat, vovimus proſpera, regnet in pace matura Jo.

EPIGRAMMA.

Protulimus Plauſus *quos* nunc *concludimus* Omnes,
Vovimus ore *tonis proſpera* quæq; Duci.
Matura regnet Princeps *in pace* ſecundus,
Ut faveat Muſis fronte favore diu.
Principe pro tanto ſupremo *appareat* ingens,
Gloria, Lauſq; Jovi ſumma ſit, Jo damus.

Gymnaſium Gneſnenſe.